

# De Illustriss. Card. Baron.

cissimum in Christo parentis, B. Philippi sacrae reliquie conditae essent: ibique corpus eius honorificissime conditum est à chariflsmis fratribus, inclusum primo capite cedrinae, hácque intra plumbeam, & ista denum intra ligneam communem recendita: quippe cùm talis mors eius fuerit, qua benè anteactæ virtutæ cumulate responderit, haud dubitate rent eum in cælis præmium recepisse, quod eius optimis virtutum meritis debebatur; futurumque ut corpus eius in terris sit venerationi, cuius anima in beatissima illa cælestium animorum patria requiescit. Honestissimo funere elatus est, adstante toto ferè sacro Cardinalium Collegio, & aliorum plurimorum Antistitutum venerando cœtu; ac currenteque infinita populi multitudine, ut quem viventem adeò suspexissent, mortuum etiam honorarent, immò & certam quicunque appropinquare corpori possent, avido tactu demonstrant, qualem de eius sanctitate opinionem conceperint. Appositum denique est eius sepulchro Epitaphium, commune ei cum III<sup>mo</sup> Cardinale Taurusio, eiusdem olim Congregationis presbytero, qui post eum obiit, ætate licet multo proiectior: ut quorum animi adeò in vita coniuncti fuissent, ut ipsum Baronius in Gratiarum actione de utriusque eadem die Cardinalitia creatione, ad Clementem Papam, alterum se suumque unani men vocaverit, quem & de virtutibus Apostolicis, formaque antiquæ probitatis laudat) æquè post obitum idem tumulus utriusque corpora cōtineret. In quem sensum compositum Epitaphium, sic se habet: D. O. M. Francisco Marie Taurusio Politiano, & Casari Baronio Sorano, ex Congregatione Oratory S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, ne corpore disiungerentur in morte, quorum animi diuinis virtutibus insignes in vita cotulissent, fuerant; eadem Congregatio unum utrique monumentum posuit. Taurusius vixit annos LXXXII. menses IX. dies XIV. obiit III Idus Ianuarii M. VI. C. VII. Baronius vixit annos LXVIII. menses VIII. obiit prid. Cal. Iulij M. VI. C. VII.

<sup>a</sup> In prefata.  
ad Lectio.

<sup>b</sup> P. ad. 63.

<sup>c</sup> C. p. 2.  
<sup>d</sup> 13.

Possent prædictis multa alia adtexi, sive in laudationem tanti viri, sive in defensionem à quibusdam eius obtestatoribus. Sed dum ex superioribus, cùm sint omnibus notissima, etiam me tacente dignissimus appareat qui ab omnibus laudetur, maledicos illos hic non moror, qui nihil aliud sciant quam cornicari, cùm & inferius sit mihi cum illis opportunitior colluctatio. Sac modò sit, nemine umquam extitisse adeò sanctum, adeò prudentem, adeò doctum, qui non multa eiusmodi excepterit spicula à similibus Moris, Noë matre & Somno patre progenitis: cùm nec Christus Dominus, nec Deus ipse Trinus & Vnus, ab iis immunes fuerint, sint, futurive sint. Verum, sicut ait Rex ille magnus, Propheta maximus qui iis sufferendis & contempnendis diutius assueverat, *Sagittæ parvulorum factæ sunt plaga eorum, & infirmata sunt contra eos linguae eorum.* Itaque finem huic scriptio nō apponam, si prius extrema iungendo primis, hoc unum dixerim, BARONIUM prudentissimum Historiæ tractatorem, eam omnium maximam inde utilitatem consecutum esse, quam Iornandes Gothorum Episcopus, & rerum gestarum scriptor, in fine commentarij de regnum ac temporum successione, perbellè admonet, ex historiarum lectione percipi debere; nimis ut mundi huius pravitates & ærūnæ, quibus inde sineretur volvit & involvit, eū nos cōtēnere penitus debere, & odio prosequi persuadeat: tantumque ex iis profecisse, ut contemptu terra lucratus sit cælum: ideoque omnium hominum laudatione superiorem esse, cùm iam depositis Fide & Spe, videat ac fruatur iis; quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt; sola ardens Charitate, quæ non solum numquam excidit, sed etiam visione ac fruitione immensum augetur. Vnde & firma nobis fiducia accedit, quod cùm alios omnes, uniuersamque Ecclesiam, tum peculiari favore eos qui sibi familiariter in hoc mundo noti fuerunt (inter quos & indignissimum me fuisse, æternum gloriabor) apud Deum precibus protegat ac defendat, ac tandem ab exilio hoc miserrimo ad felicissimam patriam pertrahat. Amen.